

*tergo habent; ego vero edidi pauciores.* Sed ne his quidem est inhaerendum. His autem annotationibus adieci, quae maxime apud D'ORVILLEM ad Charitonem notata reperi. Quod vero ad istos interpretes interdum lectores remisi, id, quum eorum in usum parata sit haec editio, quibus Reitziana nunc non est parabilis, supervacuum videri poterit, et ineptum; sed faciendum id putavi, partim ut suum cuique tribuerem, partim vero etiam ut habeant auditores testimonium et auctoritatem eorum, quae aut a me, aut ab aliis, si qui hunc libellum explicaturi sint, viva voce sunt ex istis interpretibus deriuanda. Meas autem observationes qualescunque, in quibus et ad illustrationem et ad diiudicationem facem praeferre volui, (quamvis in iis, quae ad elegantiam et diiudicationem pertinent, non multus fui; malui enim subinde lectores monere, etiam hac de re cogitandum esse, vberiores expositiones lectionibus reseruaturus.) sine nomine meo posui; quum per se pateat, meas esse, quibus Docti Viri nomen non sit adscriptum; quodsi forte, ut in aliis eiusmodi editionibus passim vidi, nomen quoddam docti viri omissum fuerit, quod tamen adhuc nondum observaui: nolim id fraudi tribui. In notis textui subiectis autem ea volui exponere, quae iis quoque dicenda essent, qui linguam graecam bene calleant; philologicas vero annotationes necessarias, variis rationibus ductus, nec aliorum vestigia temere secutus, in Indice